I. N. J.

SPECIMEN ACADEMICUM

De

VESTIBUS ISRAELITARUM

In Deserto non Attritis

Deut. 8: v. 4.

Consentiente

Ampliſſima Facultate Philosophica

In Regia ad Auram Academia,

PRÆSIDE

DN. ABRAH: ALANO,

Orient. & Græc. LL. Prof. Ord.

Publicæ disquiſitioni modeſte ſubmittit

ZACHARIAS FORBUS, L. F.

Oſtro-Bothn.

Die 3 Octobris Anno 1708

Loco & horis ſolitis.

Exc. Jo. Wal.

IN DEUM
ET REGEM
Summæ Fidei Viro,
REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO,

D. JOHANNI GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI
Conſummatiſſimo,
Diœceſios Aboënſis EPISCOPO
Eminentiſſimo,
Regiæ
Academiæ PRO-CANCELLARIO
Magnificentiſſimo,
Conſiſtorii Eccleſiaſtici PRÆSIDI
Graviſſimo,
PATRONO & MÆCENATI SUO
Maximo,
SALUTEM ET ANNOS!

Quousque tandem Finlandiam sua perduxere fata? Ea quippe illius est dignitas, ut præ ceteris felicissima dici mereatur. Ea ejus prærogativa, ut cereros inter viros, quibus pollet celeberrimis, de Episcopo Eminentissimo, doctrina antiquissimo, ingenio gravissimo, fine exemplo maximo dudum sibi gratulari habuit. Fatetur hoc extera humus, quæ hunc suum fore precata, Virum vere incomparabilem, iteratis gemitibus Finlandiæ sæpissimè invidit. Illud omnium de hoc judicium, ea opinio, quasi de cœlo demissus esset, tanta denique fama, ut & ipsa immortalitas carmina de eo pangat immortalia. Ut jam tanta Tui

Pa-

PATER in CHRISTO REVERENDISSIME Nominis Amplitudo, tanta majeſtas, quid mihi impendere putem? qui tanto Viro haſce rudes rudi calamo deductas lineas dedicare in animum induxi? Defuit vapor Oratoricus, deeſt & lima, cum calamus pauca vix commata ſine titubatione fœdaque ſtribiligine profari poſſit. Hæret mens, & qua omnes ſuas facultates obſtupeſcit, cum tanto Viro dignum nil habeam. Attamen, quæ TUA patientia, quæ benignitas? nemo clientum a TE PATER in CHRISTO REVERENDISSIME, voti receſſit expers: adeoque utut rude ſit hoc opus, id Tuis tamen oculis ſubjici patiaris, eſt quod humillime peto. Adeſt Judæus, quadraginta an-

annorum viator, multa mala passus, vestimento tamen non lacero, cujus fessa quoque membra ad fores Tuas solummodo quiescere sine. Hinc quicquid vota, quicquid preces poterint, Parentem Magnum, Lumen Ecclesiarum, in Regni decus, Relligionis tutelam, Rei Literariæ columnam, ut Cœli vis diu conservet, precari nunquam desinet

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

Humillimus cliens

ZACHARIAS FORBUS,
L. F.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo

DOMINO

Mag. LAURENTIO FORBUS,

Pastori in Kemi meritissimo,
Lapmarchiæq; Præposito
gravissimo,
Parenti suo longe honoratissimo,
carissimo,

SALUTEM ET ANNOS!

IN quantum me obstrinxere pietas & officia, in tantum profiteor nemini me post DEUM magis debere, quam TIBI PATER summa reverentia Colende. Non enim minus jucundi illi fuere dies, qvibus vixi, qvam ii, qvibus natus eram. TU PATER DILECTISSIME non vitæ solummodo es principium, sed & eandem etiam atqve etiam curasti: accessere tot beneacta, & fi-

filium ad cineres usqve obseqventissimum affectibus Tuis Paternis cumulasti, qvi omni remuneratione superiores nunqvam referri qveunt. Interim non minus svave erit accusari abs TE PATER CARISSIME officium meum, qvam jucundum requiri. Habeasq; obseqvium filiale perpetuum ceu obsidem totius debiti. Eqvidem debeo, dum vixeris, imo post fata, qvæ Deus protrahat! tuo conspectu nos privatura debebo. Sed ut jam difficitus, præsentia officiorum munera præstare neqveo, absens tamen opere licet rudi TIBI PATER DILECTISSIME apparebo, nihil, ut confido, in admirationem Tuam collaturus, si omnia concinne non sint digesta. Insuper ut diu superstes vivas & valeas, mihi PATER & toti Familiæ Columna, vovere non cessabit

Filius ad cineres obsequentissimus

ZACH: FORBUS,

L. F.

DN. JACOBO FROSTERO,
Paſtori Civitatis Uhloënſis Parœciæq;
Muhoſenſis, & Saloënſis longe meri-
tiſſimo, ut & Adjacentium Præpoſito
Laudatiſſimo, Patrono ſumma vene-
ratione proſeqvendo.

DN. M. HENRICO FORBUS,
Paſtori Tornoënſi vigilantiſſimo, Pa-
truo ſuo Dilectiſſimo.

DN. JOHANNI CAJANO,
Sacellano Uhloënſi perinduſtrio, Fau-
tori optimo, honorando.

DN. ISACO BJÖRNSTRÖM,
Sacellano in Kemi pervigili, amico
dexterrimo.

Ob innumera, quæ acceſſerit,
humillime &

Auctor &

rendis, Clariſſimis & Spectatiſſimis
RIS,

DN. ERICO CAJANO,
Paſtori & Præpoſito in Paldamo
Digniſſimo, Promotori ætatem ſu-
ſpiciendo.

DN. M. ERICO WALLENIO,
Sch. Triv. Uhloënſis Rectori meritiſſi-
mo, Præceptori quondam fideliſſimo.

DN. HENRICO ERICI,
Senat. & Merc. Tornoënſi Spectabili,
Evergetæ ſemper colendo.

DN. CAROLO BACKMAN,
Senat. & Notario Uhloënſi Spe-
ctabili.

beneficia, hoc qualecunque opus
officioſe dedicat

Reſpondens.

Honeſtiſſimo & optimæ ſpei

JUVENI,

DN. ZACHARIÆ

FORBUS,

Solerti præſentis Diſſertationis

Autori.

Indumenta quater denos haud
trita per annos
Abramidum, tandem tempor
adeſa jacent.
Firmius ingenuam veſtit Sapientia
mentem:
Non ætas illam deteret ulla Tibi.

Ne deeſſem officio, feſtinato,
ſed amico talamo ad-
plaudeb.

TORST: RUDEEN

MEMB. I.

§. I,

Quis adeo ab omni ratione & ſenſu fuit derelictus qui DEI ſapientiam impugnavit, & permanentiam eſſentiæ divinæ interminabilem inficiatus eſt? omnes ſane eâ in re quam maxime elaborarunt, ut Numen divinum in ſummo ſapientiæ faſtigio adorare & infinitæ exiſtentiæ titulis deſcribere poſſent. Hinc Illuſtris ille Eloqventiæ Parens Cicero, DEUM naturam ſentientem, in qva ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſempiterna, & animum mundi, quæ ſit mens & ſapientia perfecta, omniumque rerum ſibi ſubjectarum, quandam prudentiam nuncupat.

Lib. I. Acad. quæſt. pag. m. 10. Ipſa quin etiam ſacra ſcriptura: Numen abſq; Principio & fine, Gen 21. v. 33, ſumaq; ſapientia Dominum Pſ.: 147. 5, Eminentiæ divinæ multum ſane derogaretur ſi vel minimum ſub tegmine ignorantiæ Sublime mentis divinæ acumen lateret; ſi ab alio proficiſceretur, & ſuum eſſe ab altero bonorum omnium auctor mutuaretur, cum hæc illa ſit perfectio, qvâ â ceteris rebus creatis diſtingvitur, & ſit Ens perfectiſſimum in qvo nullus defectus, & nulla limitatio reſidet. Arduum itaque non erit divinam providentiam oſtendere, ſi ſaltem attributorum modo a nobis allatorum recordemur, in quibus divina ſapientia eminet, in mundi hujus creatione & gubernatione conſpicua. Nam ſicut DEUS ſapientiſſimus eſt, quia omnia intellectu exactiſſime & uno ſimplici intuitu penetrat, ſic ſapientia ejus dum ipſo actu res omnes a ſe conditas & mundi gubernacula dirigere noverit intelligitur. Quemadmodum illi principes potiſſimum ſapientes dicuntur,

qui

qui Reipublicæ habenas ſapientia moderari callent. Recte ſophismatum involutos & intextos laqueos diſſecat Cicero: quis, inquit, tam vecors eſt, qui aut, cum ſuſpexerit in cœlum Deos eſſe non ſentiat, & ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam, arte ulla ordinem rerum, ac viciſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet? aut, cum Deos eſſe intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium eſſe natum, & auctum, & retentum? Orat. 30. pag. m. 607. Idcirco admittenda eſt divina prouœa, quum ea negata præcipua DEI attributa pereant, & nihil, quo ejus ſapientia rite demonſtretur, ſuperſit.

§. II.

Provido hoc DEO frui potiſſimum contigit ſub V. T. Iſraëlitis, cujus & ſtupenda quam ſæpiſſime experti ſunt miracula, non ſolum facta ex ungvibus Pharaonis crudeliſſimis exoptata eorum libertate, & levato ſervitutis jugo; face cœleſti illis per quadraginta annos in

deserto commorantibus prælata, ita ut in obscura caligine tot inter belluarum in silvis latitantium immanissimas turmas sarti tectique versarentur; Conversis scopulis in fontes profluentes, quorum rivuli in omnium Ora quasi tendebant, ita ut vilcerum incendia ex voto exstingverentur; pane cœlitus concesso, quo famis injurias superarent; data medicina, dum serpens æneus erigeretur, Num. 21. v. 8. In quem si quis ulceratus venenato vivi serpentis morsu oculos conjecit, protinus pristinam sanitatem recuperavit, vel ut Rabbinis de hac historia agentibus placet: quivis ab aliqua alia venenosa bestia vulneratus, sanus evasit, simul atque eum inspexerit; Sed etiam nullo laborantes amictus defectu, quo nudum corpus operirent.

§. III.

Hoc ad nostrum pertinet propositum, quippe cum vestes Israëlitarum in deserto non attritas Deut. 8. 4. tractare decreverimus, itaq; aggrediemur ipsam ve-

veſtium definitionem nominalem. Circa quam Etymologia primo conſideranda venit, quæ veſtibus, tum â velando, etenim corpus veſtibus obtegitur, ne vel radiorum ſolariũ tempeſtatisq; vis facile penetret, vel frigoris immanitas premat; vel ut quæ natura occultavit, removerentur ab oculis: Tum â vellere, ut quidam volunt, quod primus veſtitus â pecudibus ſit ſumptus, denominationem tribuit. Græcis ἱμάτιον dicitur. Hoc interdum ut Matth. 11. v. 8. & 27. v. 35. *veſtimenta* in genere denotat, interdum in ſpecie *pallium*, quod interioribus exterius ſuperjicitur, ut ex Matth. c. 9. v. 20. & 21. v. 7. patet. Joh. 13. 4. extat: τίθησι τὰ ἱμάτια; Beza, *deponit pallium*, i. e. ſummam veſtem. Ne quis ſomniet Dominum nudo corpore ſuis diſcipulis pedes abluiſſe. Vulgatus tamen, Eraſmus, Syrus & Arabs ἱμάτια verterunt *veſtimenta* & quidem recte; Nam licet τὸ ἱμάτιον interdum in ſpecie *pallium* denotet, non tamen τὰ ἱμάτια in plurali unum pallium denotat, nec periculum eſt nuditatis. Quum e-

nim ſub climate illo calidiſſimo homines veſtibus ex tenuiſſima materia contextis uterentur, plures ſuperjiciebant, ne radii ſolares facile penetrarent; quas tamen, dum tempus ita tulerit, deponere potuerunt. Fac itaque pallium & ſtolam depoſuerit Dominus, non tamen prorſus ſe denudavit, ſed aliis ſubtilioribus indutus opus ſuum curavit. Vel ſi phraſi Orientali utar: fuit ille nudus, cum ſtolam abjecerit, etſi tamen tunica & femorali non deſtitueretur. Sicuti Ludov. de, Dieu in h. l. ἱμάτια in plurali *exteriores veſtes ſive ſummas*; & Piſcat. ſignificare dicunt. Unde tritum illud: Tunica pallio propior eſt. Huic ἱματίῳ reſpondent Heb. מרא לבושא, שלמה, & quam maxime ipſum בגר, quod in ſolis Bibliis ſing. legitur 53. alias verò ſæpiſſime, Rabbinis ita ad palatum, ut hac voce monitum ſuum non contemnendum expreſſerint, ne quis ſine precibus unquam veſtes induat, dicentes; אל תלבש בגדיך בלא ברכה *ne induas veſtes tuas ſine benedictione*; Rationem hanc dantes

tes in Orch. Chaiim: *Quemadmodum enim homo tenetur benedictionem dicere, quando cibum capit: ita quoque benedicere debet, quoties veſtimenta ſua induit, & quicunque hoc non facit, is induetur vermibus, qui moleſtiores ſunt, quam acus in carne viva;* Quo indicare volunt ingratum in DEUM animum non fore impunitum. Sit hoc Rabb. monitum illis oppoſitum, qui nihil veri bonique in libris Jud. latitare putant; cum tamen Theologia, Jurisprudentia, Medicina & Philoſophia univerſa, per illos ſparſa, non ſine admiratione & fructu reperiatur â prudentibus. Ipſorum autem חלוק, vocem anguſtioris ſenſus, per inducium ſive tunicam interiorem accommodate vertes; & annumeratur Octodecim veſtibus, quas per traditiones majorum audent ex incendio ſecum deportare; vid. Gemaram Schabb. fol. 120 1. citante D. Buxtorfio, cum nobis non ſit ad manus ſecunda illa Talmudis pars. Etiam huc vergit vocabulum ἐσθὴς, quod magnam cum veſte cognationem habet. Hinc vocem illam

lam latinam veſtis ortam eſſe non temere diceremus, præpoſita litera Vau, qua Græci carent, & mutato ש in ר. Latini enim averſantur literas aſpiratas.

§. IV.

Prioribus ſaltem labiis, quæſo, delibemus varia apud Judæos uſu recepta veſtium genera. Summus Sacerdos ſive Pontifex in adminiſtratione Officii octo gerebat veſtes. I. erat Tunica, eaque proxima cuti, ex ſubtili lino, operis teſſelati, unde vocabatur כתונת תשבץ tunica teſſelata, Exod. 28. v. 4, 39. 2. Femoralia linea, quibus inferiorum corporis partium nuditas tegeretur. 3. Pallium Ephodi. 4. Ephod, quæ erat veſtis extima brevis ab humeris ad lumbos usque deſcendens, 5. Pectorale. Hoc erat ejusdem cum Ephod materiæ, duodecim inſertis gemmis, quatvor ordinibus elaboratum, quarum ſplendor perfectus fortaſſe vocabatur Urim & Thummim, q. d. perfectiſſimam lucem, ſæpiſſime in Sacra Scriptura memorata,

Exod.

Exod. 28. v. 15. Reſponſis DEI, cujus voluntas per ea inquirebatur, celebria. 6. Cingulum, quod corpus cingebat, Exod. 29. 5. partim ut magis agiles, magisque expediti eſſent, cum ad opus progredi deberent; Partim ut firmioribus eſſent lateribus in munere aliquo difficili obeundo. Latum erat, ut Joſephus tradit, quatuor digitos, & variis floribus, figurisque inſtar operis plumarii acupictum contextura cava, ut ſerpentis exuvium aut marſupium longius putares. 7. Tiara vel Mitra. 8. Lamina aurea, quæ alligata erat fronti Tiaræ, eique inſculptum erat: *Sanctitas Domini.* Harum veſtium ſingularum mentio fit Exod 28. & 29. cap. Octo hæc veſtimenta vocantur a Talmudicis *veſtimenta aurea*, non qvod omnibus & ſinguſis aurum intextum fuerit, ſed qvod aliis ſplendidiora & ornatiora fuerint. Pontifex extra ſanctum ſanctorum his octo veſtibus, ſed in ſancto ſanctorum qvatvor albis indumentis adminiſtravit. In qvam ſententiam venuſte loqvitur Maimonides

in Cele Hammikdasch cap 8. *Vestes Laban* (sive *albæ*) *fuerunt indumenta quatvor, quibus indutus Pontifex sacra faciebat die jejunii. Erant autem ea albi coloris, atque ex lino tantum, nimirum tunica, braccha, Cingulum & infula.* Hæc opinio nititur sacra scriptura Lev. 16. 4. Ubi Aron sanctum sanctorum ingressurus, tales vestes sibi induere tenetur. Sed ne multis morer. Ut taceam inferioris ordinis Sacerdotes, qvi quatvor tantum amicti vestibus, tunica scil. femoralibus, Tiara & baltheo munere suo fungebantur; solam duntaxat stragem sanctissimi nominis Pharisæorum unico verbulo priorum albo adponam. Hi ut, sanctissimos & pientissimos se habentes, ab aliorum agminibus sese distingverent, diversis etiam â ceterorum, peregrinis induti, Monachorum instar, vestibus utebantur. Hinc proverbium natum fuit: *Vestes populi terræ conculcatio sunt Pharisæorum.* Ceterum qvod ad vulgum attinet, illis simplici vestimento uti res religiosa fuit. Viro prohibita sunt ornamenta muliebria,

ve-

veluti veſtes verſicolores, monilia & armillæ aureæ. Nec non actiones effœminatæ. Veſtimenta rubra & purpurea non gerent, qvia hæc ſunt indicium animi elati & hominis ſupercilioſi. Neqve veſtibus ex lana & lino confectis utuntur, præceptum enim Domini legitur Levit. 19. 19. *Non indues tibi veſtimentum ex lana & lino confectum.* Lanam ſcil. ovium & arietum illi intelligunt. Probationem hujus rei petunt ex 2. Reg: 3 v. 4. ubi legitur: *Porro Meſa rex Moab fuit pecuarius & reddebat regi Iſraelis centum millia agnorum, & centum millia Lanatorum.* Unde colligunt per צמר intelligi tantum lanam ovium & vervecum. Ideo excludunt lanam camelorum, leporum, pilos caprarum &c. Diebus feſtivalibus maxime Noui anni, mundiſſima ſemper eunt amicti veſte, cujus viæ ineundæ occaſionem ex dicto Salomonis qvod in Eccleſ. 9. 8. extat; *ſemper ſua veſtimenta erunt alba*, primum eos accepiſſe narrat Anton: Marg: in deſcript: Relig: Jud. Lugentibus vero ſua lavare veſtimenta

licitum non erat, aut veſtes dealbatas ſibimet induere. Maymon: Halac. אבל cap. 5 Nec lætitiæ ſolum ſed etiam innocentiæ documenta erant Veſtes albæ: Hinc locus in Middot: citante Othone, cap. 5. v. 3. *In conclavi Gazith etiam ſedebat Synedrium, quando dijudicabat Sacerdotes; Sacerdos in quo inventum erat aliquod vitium, induebat ſibi veſtimenta nigra & atris involutus egrediebatur. Cui vero non inerat vitium, induebat ſibi veſtimenta alba, & albis involutus ingrediebatur.* Diebus inſuper tam feſtis quam profeſtis veſtimento ארבע כנפות *Arba Canphos*, quod ſinguli Judæi ab anno decimo tertio tenentur induere, ſeſe velant, Germanis das viereckige Kleid / quia tanquam colobium pellicum ſine manicis factum, inferius quatvor angulos habet, & in quovis angulo annexa fila lanea & contorta, quæ *Zizieth* vel Zotten appellant. Hæc filamenta numero ſexcenta & tredecim eſſe pro numero omnium præceptorum DEI, in quæ tota lex dividitur; Id Cabaliſtica ſupputatione in Rabbino-

binorum Schola Arithmetica probatum eſt, cum tamen duplicata etiam octo tantum ſint. Uſus vero horum filamentorum varius eſſe poteſt ſecundum variorum varias ſententias foventium capita. Quidam illa in Judæorum â gentibus diſcrimen mandata eſſe dicunt. Quidam iterum veſtium ab utroque latere apertarum, ne parte corporis aliqua nuditas oſtenderetur, veſtibus huc illucque diffluentibus, anſulis connectendarum gratia præcepta eſſe autumant. Verum enimvero uſus Zizith erat ex inſtituto divino Symbolicus, ut ex Num: 15. 39. probat Burgenſis, recte differens hiſce verbis: *Hoc præceptum ordinabatur ad hoc, ut cum vidiſſent iſtas fimbrias, recordarentur mandatum DEI, ſicut cum aliquis homo rogat amicum ſuum; ut aliquid faciat pro amore ſuo, pro cujus memoria ligat ſibi digitum aliquo filo, ut cum hoc viderit, tradat memoriæ illud, quod ſibi eſt injunctum.* Hoc pervertêre Judæi poſtea, ſicut eorum mentem ediſſerit Anton: Margarita: Die Jüden geben die urſache/warum die Zizis,

das iſt die Läplein/ jemand aller Gebothe Gottes erinnern/ nemlich darum/ daß diß wort Zizis ציצית ſechshundert/ und dreyzehen ziefern begreift ſamt den acht faden und den fümff knopffen die an dem Zizis ſeyn; Wenn nun einer die Zizis von hertzen anſehe/ und küſſe/ wie ſie thun/ ſo ermahnen ſie einen aller gebothe zu gedencken/ als welcher auch ſechshundert und dreyzehen ſind.

MEMB. II.

§. I.

HAc ſatis diu definitionem Nominalem luſtravimus. Videndum itaque nunc aliquod nobis reale, quo rei conſiderationi propius accedamus. Imprimis mihi ſuccurrit locus in Scriptura Sacra videlicet Exod. 13. v. 18. וחמשים עלו בני ישראל מארץ מצרים *Et quintati adſcenderunt Iſraëlitæ è terra Ægypti*; circa cujus examen, cur Iſraëlitæ dicantur egreſſi חמשים, multi ſummopere deludant. Ferax ſane ſuper

hac

hac re divortiorum leges. Patrum multos litigare audimus, quomodo hic locus secundum interpretationem LXX. qui *quinta generatione* vertunt, conveniat cum dicto, quod Gen. 15. v. 16. extat: ודור רביעי ישובו הנה Quidam iterum ad חמש sive quintam costam applicant, quam armis instructam fuisse contendunt. Ut Aquil. Symmach. Syrus, Kimchi. Corn. a lapide h. l. vel simpliciter baltheo & cingulo accinctam; juxta Onkelum, Persam, Arabem, cont. Hulsius Theol. Jud. P. I. pag. 296. quasi חמשים idem esset ac חלוצים ut volunt Hebræi. Sed sane nulla videtur ratio, cur חמשים hic dici possunt חלוצים armati, & costarum fiat mentio, quasi costas enumerarint, & arma hisce fuerint accincta. Absurdum est statuere homines in servitute degentes gladium & alia bellica instrumenta gerere, cum vinculis catenisque manus & pedes sint obligati & constricti. Forte hisce armis fuerunt instructi? Nec talis erat ingenii crudelissimus ille Pharao ut dimitteret illos armatos, sed gla-

gladio potius & telis, ne nocerent, exutos. Quemadmodum Josephus & Philo eos inermes Ægypto egressos testantur. Nec est, qvod dicas cum Riveto, verbum adscenderunt aliquando latius accipiendum esse, ut non adstringatur ad primum diem profectionis, putat enim postmodum inermes non fuisse, imo arma Ægyptiorum in littus expulsa in usum vocasse. His etiam arma minus conveniissent, cum non pugnam, sed supremam DEI potentiam essent experturi, Exod. 14. v. 24. Ineptis insuper nugis ludunt Aggadistæ, dicentes, quintam modo Israëlitarum partem ex Ægypto adscendisse, ceteris triduo tenebrarum mortuis. Verum hunc locum Clarissimi Philologi enucleate exponunt: *Israëlitæ*, inquiunt, חמשים *dicuntur, quia quini & quini legitimo ordine incesserunt.* Theod. μιμπαίζοντες vertit. Hoc itidem ipsa Etymologia Phraseos confirmat, quæ ab ordine militum secundum suas quincurias procedentium denominatur. Fuerunt siquidem hi dispositi ordine mi-

militum, non more tumultuantium & fugitivorum confusi. quomodo & Jos. 1. v. 14. accipi non potest pro quinta generatione sed recte interpretes pro militari ordine. Argumenta insuper fovere solent dicentes: חמשה וחמשה fuisse ponendum. Item שלשים & רבעים denotare trinepotes & quadrinepotes. Verum quod ad illud attinet, nihil interest quo minus aliquando variet modus loquendi. Hoc vero non ejusdem est generis, utpote cum forma atque ratio non sit eadem שלשים; sane שלשים forma itidem variante non sunt trinepotes, sed tertiani. Num: 2: v. 24.

§. II.

Videamus jam quibus vestibus usi sunt Israëlitæ in deserto commorati, utrum viri magnifica & superba ex marmore & peregrino lapide exstruerent monumenta, & auro barbarico radiantia Mausolæa. Utrum feminæ matronarum instar Crotonienſium auratas vestes, fulgentes in capite colloque gemmas, ac

cetera insignia gererent. An vero Adami & Evæ vilibus & abjectis tunicis pelliceis uterentur. Hoc dubium enodat Propheta Ezechiel cap. 16. v. 8. 9. 10. 11. In quo DEUS *vestivi te*, inquit, *versicoloribus, Calceavi te melinis, cinxi te byssо & amicivi te serico. Ornavi te ornamento. Dedi armillas manibus tuis, & inaures auribus tuis, ornatum denique decoratissimum capiti tuo. Ut refulgeret cultus amictus tui auro & argento, & vestes tuæ essent byssinæ, sericeæ & acupictæ.* Elegantissimus hic mundus, & quid elegantius ?

§. III.

Ex dicto superius allato nimium curiosa Rabbinorum cohors varias sententias easque elumbes colligit, imprimis vestes sericas & pictas angelos ministeriales Israëlitis parasse mentitur. Vestes sane delicatæ, quæ angelos sartores agnoscunt, & quibus Angeli natales tribuerunt. Quod si vero vestes hæ dicantur donum DEI apud Prophetam, non tamen sequitur angelorum esse artifi-

tificium. Sic etiam vinum, uvarum & frumenti ſuccus, quem DEI donum eſſe nemo inficias iverit, & alia quamplurima angelorum miniſterio pararentur. Concedimus aureis inauribus illos fuiſſe ornatos, ut apud Moſen ipſum & Aronem in confeſſo erat, & in hiſtoria illorum legitur. Anne vero illæ ex Angelorum officina prodierunt? peccaſſet ſane Aron, qui ejusmodi ornamentis vitulo conſecratis Angelorum dona profanari curavit. Itaque videant Rabbini quam recte hoc fiat, dum Angelos ſartores faciant. Male ſane textum interpretantur, qvum in illo nulla Angelorum mentio fiat, ſed ipſe Dominus, qui ſuper omnes Angelos eminet, de ſe loquatur, ſeque ipſum Iſraëlitas veſtiviſſe dicat. Ut vero hoc factum eſt, ſequentia dabunt. Quis itaque tam accurate genium Prophetæ capiet? Quis tam vere & ex intimo ſenſu ſcripturam interpretari, quis rimari poterit, ut Rabbini? Mirum quas plicas texunt! Sed quid ſoli

lucem fœneror, & frigidis objectiuncu-lis longius me impendo? quas & ful-lones exsibilent, paulo saniores.

§. IV.

Sed quid novi? Vestes Israelitarum non attritæ dicuntur. Ex ipsa literarum sa-crarum scaturigine emanat qvoddam Vocabulum בלה, qvod juxta quosdam maxime ipsum Dn. von der Hardt / de-tritionem non proprie sapit. Et licet Latini interpretes בלה in τὸ *deterere* ver-tant, non tamen solam literam heic æsti-mandam putant, utpote cum idem ver-bum de se prædicaret Sara אחרי בלתי *postquam detrita Sum* Gen. 18. 12. Quod tamen nemo, inquiunt, cui mens non sit læva, factum non inficiabitur. Sed sensum literalem & locutionem quan-dam figuratam, adeoque literam & sen-sum literalem retinendum. Ita ut hic sit sensus ipsorum verborum, *Vestes non consumptæ*, satis suppetiit vestium, ut deposita una succederet alia. Funda-mentum desumunt ab opibus viri cu-jus-

jusdam, qvæ non consumptæ dicuntur; hoc est, etsi illis uteretur, ut decederet etiam, non tamen prorsus sunt absumptæ, ut prorsus evanuissent, & nihil superfuisset. Sic senium dicitur vires Mosis non consumsisse non qvod non ad langvorem unqvam venerit, & vires juveniles semper immutatæ manserint, sed qvod novæ semper vires prioribus pares successerint cuiqve ætati convenienteis, ita ut nec in extrema senectute consumerentur, h. e. deficerent. Nos tantos â Scriptura sacra non facimus saltus, sed propius illam nostra metamur castra, utpote propiorem vocabuli τȣ̃ בלה interpretationem investigaturi, & quidem ambabus amplectimur ulnis, qvæ propria & nativa ejus significatio sit: *veterascere* cum subjecti detritione & partium consumptione, nullo modo ex dictionario, sicut putat dissentiens, vim vocum metientes, sed ex usu Biblico, penes qvem, hoc in casu, jus est & loquendi potestas. Ita de Gibeonitarum calceis, vestibus, saccis & utribus usurpatur Jos. 9. v. 13.

de ligno & ossibus carioſis, Job. 13. 28. Pſal. 32. 3. ut ſimilis res conjungitur Eſ. 50. 9. & 51. 6. quæ in fumum faceſſit, aut quam tinea erodit. Huc faciunt locutiones, de populo, qui ab hoſtibus detrimentum accipit, 1 Chr. 17. 9. cutis & caro ægri animo vel corpore, Thr. 3. 4. Conſumtio reditus agrorum, ab iis, qui coluerant, Eſ. 65. 22. Vitæ conſumtio per lapſum temporis, Job 21: 13. Iræ DEI effectus in hoſtes, Eſa. 10. 25. ſic panni axillis Jeremiæ ſubdendi haud dubie uſu exeſi erant, Jer. 38. 11. 12. & effectus ſepulcri in corpus eſt conſumtio, Eſ. 38. 17. Ad Saram autem quod attinet Gen. 18. 12. eſt ibi ſine dubio locutio metaphorica, talia enim ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe â ſuis ſubjectis, non tamen excluſa ſignificatione vocis propria, cum omnis Metaphora in tribus poſita ſit, quæ ſunt: Significatio vocis propria, aliena, & ſimilitudo. Sara erat vetula ſucco exhauſta & effœta, conf. v. 11. Similiter opes viri dicuntur non conſumtæ, non ex mente diſſentientis qua-

quasi non prorsus evanuerint ; sed quia nihil plane ex illis evanuerit, quotidianis redditibus in usus necessarios abeuntibus & surrogatis. De Mose nullibi affirmat scriptura â senio vires ejus non fuisse consumtas, potius contrarium patet ex Deut. 31: 2. quod vero cap. 34. 7. *Viriditas ejus non fugisse dicatur*, id de forma externa forsan intelligendum, seu denegata ibidem oculorum caligatio probare videtur. Quare alacriter statuimus vestes Israëlitarum non inveterasse, sive quod idem est, vetustate nou attritas. Cum & ipse fons Sacer hoc cupiat, & aliæ versiones hoc confirment. Estq; hæc *non consumpte vestis* denominatio specifica, quæ unam eandemque vestem denotat, qua induti deserta peragrabant. Non vero generica, ut quidam volunt, quæ plures vestes indicet; Licet concedamus insignem pecorum turmam, statim post exitum ex Ægypto, carentibus indumenta subministrasse, & sartores, qvos in eadem sui itineris societate haberent, illa confeciſſe, qvippe-

pe cum nuper ergaſtulum & jugum ſervum egreſſi, veſtes habere non potuerunt; non tamen plura, & illum unum amictum non fuiſſe detritum. Sicut enim Manna DEUS populum miraculoſe cibaverit, ſic & miraculoſe populo de veſtibus proſpexerit. Prætera ſi modo ordinario illis proſpexiſſet, miraculum eſſe ceſſaret, miracula enim ſuperant ordinem communem, nec potuiſſet Summum Numen apud populum ſuum potentiam unice celebrare, cum tamen magnum & ſtupendum fuerit miraculum.

§ V.

Cauſam cur illorum veſtes non ſunt attritæ, Rabbini Manna ſive panem angelicum faciunt, quem talis fingunt temperamenti, ut ſudorem expulerit, ne veſtes ab illo deterererentur. Aſt nonne climatis æſtus, aëris injuriæ & pluviæ delapſæ veſtes paulatim conſumere potuerunt? Nonne pulvis inter eundum exci-

excitarus terere? Sed quid mirum? Providentiam divinam agnoſcimus extraordinariam. Motus eſt diſcurſus inter R. Eliez. & R. Simeon, ille interrogavit hunc, unde fuerunt veſtes Iſraëlitarum in deſerto per quadraginta annos? Reſp. Angelorum miniſterialium opera illos veſtitos, ſicut dicitur Ezech. 16: v. 9. veſtiam eos רקמה. Quid eſt רקמה? eſt purpura. Annon autem vetuſtas detrivit? Reſp. annon legiſti? Veſtimentum tuum non veterabit ſuper te, Deut. 8. 4. Dixit ille. Annon parvi facti ſunt majores? Reſpond. Abi, & diſce â cochlea, cum qua ſimul creſcit concha ſeu teſta ejus.

§. VI.

Etiam nos paucis conſideremus, num veſtes cum ſtatura creverint ſimul? Alluit ſane nos aqua confertim crepitans, & magnos divortiorum montes trahit. Hebræi præprimis eo audaciæ ſunt elati, ut veſtes non ſolum non attritas, ſed etiam cum ſtatura ſimul creviſſe

latis faucibus exclament. Quibus quam plurimi Viri Celeberrimi ſcutum oſtendunt, in veſtium accretione miraculum ſtatuendo. Eſtius verò ambabus manibus hanc Hebræorum poſitionem ſubmovet, veſtium cum ſtatura ſimul accretionem ridens, cum aliter potuerit ipſis provideri, ſi pueri acciperent veſtimenta adultorum morientium. Ne taceam plane Hebræorum columnas, quibus nituntur, dum hæcce ſevere tractant; hunc nodum Gordium, hanc difficultatem, ſe tunc enodaſſe opinantur, dum exemplum cochleæ afferunt, qua creſcente, etiam teſta ejus ſeu concha accreſcit, non tamen ſine pabulo & nutrimento. Quidni ergo veſtibus Iſraëlitarum datum eſt nutrimentum? Fac cochlea ſit ab aqua remota, videas ſane, num creſcat nec ne cum ſua concha. Sed licet Iſraelitæ ſuis veſtimentis in aquis & in terra (ut quidem factum eſt) verſati fuiſſent, non tamen creviſſent.

MEMB. III.

§. I.

Etiam sequentia, quæ in ejusdem cap. 8. Deut. v. 4. extant, paucis rimemur. ורגלך לא בצקה. Vocabulum רגל non unicum involvit significatum, notat enim vel pedem, ut Deut. 11. v. 10. & 2 Par. 16. v. 12. Vel causam Gen. 30. 30. Unde Latinum regula, ex pede enim omnis fere regula desumi solet, ut vult Plantavitius; Est itaque hæc vox æquivoca, primario pedes animantium significans, *δευτέρως* vero sive secundario translata ad rem, quæ aliam sequitur, ut Exod. 11. v. 8. & pluraliter רגלים *vicibus*, Exod. 23. v. 14. Exponitur, quam vocem Paraphrastes Chaldæus *temporibus* interpretatur, quasi quis diceret, *repedationes*, *remeationes*, *aut gressus*. Rivet. in loc. ex Paulo Fagio. Nobis vero pes sive prima nominis homonymia arridet. Nec injuria, quum de gressu, non vero de re & vicibus textus

loquatur. Commorabantur enim Iſraëlitæ in deſerto & pedes non ſunt ſubtriti.

§. II.

Melius vocabulum τὸ בצק ſub rationis incudem revocarunt Beatus Lutherus, Aben Eſra, Leighius & ceteri, cum illud per *intumuit* vertant, quemadmodum ſæpiſſime viatoribus accidere ſolet, ut pedes intumeſcant. Et Munſt. nec non Buxt: verbum בצק ſignificat *paſtam facere*, paſta autem calefacta intumeſcit. Recte ſeptuaginta interpretes ſenſum h. l. licet non verba, exponunt: οἱ πόδες οὐκ ἐτιλώτησαν, *pedes non occalluerunt*. Miraculum hoc non minus priori erat, quod per rupes aſperas & invios ſaltus incedentes, pedum tamen ne minimum quidem contraxerint tumorem, aut dolorem, divina gratia omnibus malis ſuperiores, non confundendum cum prohibitione attritionis in calceis, de quo Deut. 29. 4. Sic per DEI gratiam ſtatum Iſraëlitarum in deſerto commorantium

tium paucis delibavimus. Quod ſuper-eſt, non oblivíſcar: Adeſto ê ſupernis infinita tua providentia Rex Regum Regi noſtro Clementiſſimo, Svionum, quotquot ſumus, omnium Tutelæ & Capiti Auguſtiſſimo, cui hoſtilis harena cum tot tantisque furentium cohortibus quam ſæpiſſime repetenda, ignis ſcintillans, ferrum præmicans, armorum mugitus, telorum volatus & multus ſtrepitus experiundus, (gratulandum tamen, quidni mirandum, quod in tanta perturbatione ad noſtri Clementiſſimi Regis partes victoria ſemper conceſſerit). Fac laurum in capite ſtabilem, arma firmiſſima & animum intrepidum. Eſto velamem CAROLI DUODECIMI, tot inter hoſtiles ſerpentes, qui obtrito capite cauda minantur, periculoſe verſantis perpetuum & non deterendum, ac tandem ſalvum cum Pace multum & diu exoptata in patriam reduc!

SOLI DEO GLORIA.